



Sammelbd von Dr. H.

v





26

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
PROBLEMATICA  
EXHIBENS NONNULLAS  
**QVÆSTIONES**  
**SELECTAS CIRCA**  
**CASUS RARIUS OBVENIENTES,**  
NEC NON  
INTER MIXTA CENTUM PROBLEMATA, EX  
CANONICO, CIVILI, ET FEUDALI JURE  
COLLECTA,  
QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**PHILIPPO WILHELMO,**  
**S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,**  
SACRAE CÆSAREÆ ATQUE REGIAE CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum MO-  
GUNTINAE ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SVPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE,  
SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS  
SUFFRAGANTE AMPLISSIMO FCTORUM COLLEGIO  
INPERANTIQA ELECTORALI UNIVERSITATE  
ERFURTensi,  
PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORALEM IN UTROQUE JURE SUSCIPENDI,  
PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBMITTIT  
DIE XXXI. OCTOBris ANNO M DCC XV.  
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII MAJORIS  
**JOANNES MICHAEL ROTERMUNDT, STADTVVORBIANUS.**  
ERFORDIAE TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPogr.



DISPUTATIO HIRDIÆ INAGURALIS  
PRO ROMANTICIS  
EXHIBENS NOMINUM

DISPUTATIONES  
SCHOLASTICAS CIRCA  
CENSUS RARIARUM ORGANICENIENSIS

JULIA TITULATÆ CENSUATÆ PROBLÉMATÆ LX  
CANONICO, QVILATÆ PROBLÉMATÆ  
GOTHICÆ.

RECOLTOÆ MAGNIFICENTISSIMO  
CANONICO, QVILATÆ PROBLÉMATÆ DOMINI.

PONTIFICO MATHHEI MO.  
ERI COMITE DE BONNEFIRE.

GRADUATIONES ASTRONOMICAS CONSERVATÆ  
SCHOLASTICAS VOTORUM COLLIGITÆ  
IN HABITANTIA ET FRANCORUM UNIVERSITATIBUS  
ET PEGRIENS.

PRO LICENTIA  
GRADUUM DOCTORIUM ET BACHOAE IURE USCIDIENDI  
PER XXXX CCT. ETAT. ET CIVITATIBUS  
IN ACADEMIA XYLLE ET COLLEGIO  
JUVENES MICHÆL ROBERTIUS STADTAUENIANUS  
EREGISTORUM LXXVII. ION. HISTORICÆ CHI. VAD. 21. 65.



## PROÆMIUM

**E**T si non dissimulantibus id ipsum venerandis Jurisprudentiæ Patribus Pompon. Celsio & Paulo, LLatores ea prætereant, quæ fortè semel aut bis existunt, nec jura de iis constitui soleant, quæ uno aliquo casu aut perraro accidere possunt; l. 3. & seqq ff. de LL. quia tamen id eò saltem pertinere saniori DD. judicio comprobatur, quod juris constituendi ratio non de iis, quæ rarius, sed quæ frequentius & plerumque existunt, desumi soleat, interim nec harum causarum tractatio negligenda sit, si alias plena earum notitia haberi nequeat, iraque cùm paucas in præsenti de illis quæstiones discussero, eò minus otiosos capitis partus vendere videbor, quò magis ipsos Impp. ac JCtos de iis generaliter varia dispositiæ tralatiū est. vid. L. 12. C. de Legit. hered. L. 7. §. 3. ff. de acqu. rer. dom. L. 12. ff. de Senator. Quod vero aliquot problemata interseram, id crisiñ fortè non merebitur, non enim Leges sacratas obtorto quasi collo injus trahere, vel apertas legum definitiones Rabularum more in ceram flectere animus est, sed quæ ex iis plenè & planè decisa non sunt, plusque Theoriam ac Scholarum subtilitates, quam praxin forumque respiciunt,

spiciunt, partem in utramque probabiliter propugnabo, ut lucidius denique veritas pateat. Nec inutiliter hoc modo, loquente pro me S. Augustino in Enchirid. C. 59. exerceantur ingenia, si adhibeatur moderata disceptatio, & abit error opinantium se scire, quod ne-  
sciunt. Quod confirmat Barth. Torrez. Canar. Epis.  
his verbis: *non me latet esse aliquos, qui vitio dent, sen-  
tentias oppositas tanquam probabiles defendere, id igno-  
rantiæ tribuentes: at certa ab incertis hoc modo secernere,  
maxima sapientia pars est.* Cujus utinam mihi obtin-  
gat ex hac publicâ disquisitione vel centesima portio!  
sit igitur

### QVÆSTIO I.

*An qui per pacatum in se generaliter recepit casus fortuitos,  
teneatur etiam de raro contingenti?*

1. Pro Negat. stant Gail. Bartol. Mantic. Menoch. Gomez. Treuil.  
Bocer. Hillig. Befold. Pro Affirmat. verò Bachov. Hunn. Harpr. Lau-  
terb. Carpz. Vinn. aliisque plures. in quorum & ego castra intre-  
pidè transeo. Nam Imò appellatione casus fortuiti vel ma-  
ximè continentur insolitus, non extensione, sed magis pro-  
prietate verbi, cùm fortuita ea propriè sint, quæ præter con-  
suetudinem inopinatò & raro eveniunt. 2. Si casum soli-  
tum & frequenter contingentem recipere voluit, multò ma-  
gis & rarissimè contingentem, cum ab hoc minus ipsi da-  
mnū, quam ab illo metuendum erat. 3. Hæc sententia  
manifestè fundatur in L. 78. §. ult. ff. de contrab. empi. ut mi-  
rum sit, à Dissent. ex hac lege pro suà negativâ præsidium  
quæri, undè tam aperte destruitur. Objicium. 1. Dissent.  
pacientes ultra intentionem suam non tenentur. at-  
qui de casu raro contingenti non præsumitur talis co-  
gitasse. E. Resp. N. Min. ratio patet ex dictis. Objic. 2.  
non valet renuntiatio exceptionum, quæ contra vadimo-  
nium desertum excusent, nisi causæ except. specialiter fuer-  
int expressæ L. 4. §. p. ff. si quis caus. in jud. Ergo. Resp. 1.  
casum

casum hunc esse disparem, nam omni exceptioni renuntiantis non censetur de noviter emersuris cogitare, cum tales casus seu nondum cognitos renuntiatio non respiciat; aliter ac qui fortuitos casus in se recipit, cuius intentio vel maximè ad inopinata futura fata dirigitur. Resp. 2. hunc ipsum textum nimium probare, ipsisque adversariis obstare, quia inde sequeretur, nec generale pactum de recipiendis casibus ad frequenter accidentes pertinere, nisi specialiter expressi fuerint, quod utique fallum. Objic. 3. L. 10. S. 1. ff. de ann. Legar. L. 30. §. 3. ff. ad l. aquil. sed argumenta inde desumpta cerea sunt & per se disfluent.

### PROBLEMATICA CIVILIA.

1. *Utrum res immobilis sit objectum depositi?* 2. *U. Merces locutionis conductionis consistat precise in pecunia numerata?* 3. *U. Decisio L. quoties. C. de Rei Vind. locum habeat in locat. conductione?* 4. *U. Conductor petere posse remissionem, si fructus à solo quidem separati, sed in horrea needum collati casti fortuito perierint?* 5. *U. b. f. Possessor suos faciat fructus naturales?* 6. *U. in emphyteusi inv. more purgatio locum habeat?* 7. *U. Commodator posset rem commodataam ante finitum usum revocare, si ipse cā indiget?* 8. *U. Mandatarius teneatur de culpā levissima?* 9. *U. Mandatarius mandari fines excedens quo ad excessum habeat act. negotiorum gestorum?* 10. *U. Thesaurus in fundo emptio, sed nondum tradito inventus, restituendus emptori?*

### QVÆSTIO II.

*An à morte, divino miraculo, resuscitatus gaudeat jure quasi postliminii? item an ad uxorem redire teneatur?*

Postliminium est jus amissæ rei recuperanda & in pristinum statum restituenda, quod in captiis ab hostiis & reversis propriè locum habet. L. 19. prin. ff. de capt. & postl. rev. quæ dispositio non incongruè ex rationis similitudine extendi potest ad mortuos div. miraculo resuscitatos, ut bona sua, per testamentum forsitan aliis relicta, ex hoc jure quasi postlim. recipiant, non obstante, quod testamento morte confirmato hæredi jus quasi statum sit, nam non præsumitur testator in eum casum, quo ipse indigebit, hæredi reliquise & inhumanum esset, Lazarum, ad magnificandam Christi gloriam resuscitatum

tatum & vita ex gratia restitutum , suis bonis privari, cum beneficia Principum laxissimam recipient interpretationem , L. 3. ff. de Constit. Princ. & si deportatus , vita Civili per Principem restitutus , recipit bona ab his , ad quos ex ea causâ deveneré. L.f. §. 4. C. de Seni. Poff. quidni idem in resuscitatis dicendum , qui ad vitam naturalem sunt restituti ex plenisimâ Cœlesti Principis gratia , quæ alias molesta potius foret. Sed cum Jure Rom. postlim , reversus uxorem ex eo jure non recuperat. L. 14. §. 1. ff. de Capt. & Postl. an resuscitatus ad uxorem redire tenebitur ? Resp. quod non ; quia Lex matrimonii vinculum & obligationem morte solvit. ad Rom. 7. ves. 2. resuscitationem vero non respexit , quia casibus naturaliter impossibilibus lex ferri non solet. Unde obiter deduco , nullos conjuges venturos ad cœlum . Sic pariter nec beneficiatus aut Religiosus ad beneficium aut Religionem redire cogitur , quia & horum statuum obligatio morte solvitur.

### PROBLEMATICA CIVILIA

11. U. detur obligatio merci Civilis ? 12. U. ad factum nudum obligatus prestanto interesse liberetur ? 13. U. detur servitus altius tollendi ? 14. U. Juri luendi pignus debito non dum soluto prescribi possit intra 30. vel 40. annos ? 15. U. Patrem inter & Filium teneat conventione circa peculium advent. irregularē ? 16. U. Actio personalia prouisif. consequendo competens duret 30. annis ? 17. U. ad delegationem species L. f.C. de Novat. ? 18. U. interdictum retinende possessonis cumulari possit cum petitorio ? 19. U. Aeditibus alicuius, ob periculum incendiū exercisis, damnum hoc à vicinia fit resarcendum ? 20. U. actio de signo juncto detur in duplum contra b. f. iungentem , si signum non fit furtivum ?

### QVÆSTIO III.

An Mulier rapiens Virum ordinarie poena Raptus subjaceat?

Cum Imp. Justinin. Virginum, Viduarum, Sanctimonialium aliarumque Mulierum honestarum Raptore pesima criminum peccantes , capitis suppicio plebētos decreverit in L. un. C. de Rapt. Virg. eaque lex aperte concepta sit de Viris , Foeminæ vero nec libidine maribus cedant , ut Viros etiam quandoque iniisse legantur apud Senec. Epist. 95. inde in Quaestione proposita DD. inter se controversantur. Et quid quid

quid Lauterb. Clasen. Brunnen. Gad. Riem. aliqui pro Affirmat:  
afferant, in Negativam tamen. magis inclino. Casus enim  
insolitus est, si Fœmina rapiat Virum, neque in d. L. un. ex-  
pressus, ut quæ de Viris tantum loquitur, in quibus hoc cri-  
men frequentius, non de Feminis, in quibus rarum est,  
ad eoque cum valde rigorosa sit, non facile extendenda;  
Nam constat ad casus insolitos leges pœnales porrigendas  
non esse, cum jura non respicere soleant ea, quæ raro con-  
tingunt. L. 6. ff. de LL. præterea non tam grave virum rapi-  
per fœminam, quam fœminam per virum, ex eo, quod in  
hac major pudicitia & castitas, quæ per raptum corrum-  
pitur, requiratur, quam in illo arg. L. 2. §. 1. C. de his qui ven-  
ti. denique etiam nihil novi est, mulieres in eodem delicti  
genero minus peccare, & ob id mitius puniri. L. 6. ff. ad L.  
Jul. pecul. L. 38. §. 7. ff. ad L. Jul. de adulst. itaque ejusmodi  
mulier extra ordinem saltem castigabitur.

#### PROBLEMATICA CRIMINALIA.

21. Il. si raptor rapiat carnaliter non cognovit, pena ordina-  
ria locum habeat?
22. Il. in sponsam committatur adulterium?
23. Il. pena adulterii ex L. jul. Augusti sit ultimum supplicium?
24. Il. ut fur ob tertium furtum suspendi possit, debeat is ob procedens  
zia jam semel esse punitus?
25. Il. in iurum justa sit Constitutio  
L. s. C. ad L. Jul. Maj?
26. Il. constitutio d. L. 5 pertineat etiam  
ad nepotes?
27. Il. in omnes imperii nostri principes committatur  
crimen laesa Majest.
28. Il. hoc crimen in Augustam committatur?
29. Il. filie patris perduellis fiant infames?
30. Il. bene concepta sit  
L. 18. C. de transact. ut malè ibi Tribonianismum perstringat Ca-  
jatus?

#### QVÆSTIO IV.

An post contracta sponsalia vel matrimonium sponsis aut  
conjugibus Religionem ingredi liecat?

Raros esse in praxi casus eorum, qui post sponsalia vel  
matrimonia contracta pia religionis ineunda vota capessunt,  
testis est Lud. Engl. X. de conv. conjug. in fin. pauci enim nunc  
Alexii, qui electa sponsa, adornatisque nuptiis relictis, ad  
casta sponsi cœlestis obsequia, & à thoro ad chorum se pro-  
cipiunt, & quod S. HENRICUS & CUNEGUNDIS, Pulcheria.

Theo-

Theodosii Soror & Martianus matrimonia quidem contraherint, suo tamen jure nunquam usi, inter admiranda potius est, quam imitanda mundi exempla. Ut quæst. nunc expediam, quoad primum certum est, ingressum istum cuncte post sponsalia contracta permisum esse, cum ex dispositione juris sponsalibus tacita hac insit conditio: nisi contrahens statum religiosum elegit, eo quod nemo impedieundus sit adspirare ad statum vitæ meliorem & perfectiorem.

**DD. X. de sponsal.** Quoad alterum, an post matrimonium ingredi liceat adhibenda Distinctio inter matrim. ratum & consummatum. Nam si ratum solum sit, datur novis conjugibus bimestre, vel juxta Zas. X. de conv. conjug. n. 20. aliud spatium ex arbitrio judicis, ad matrimonium vel consummandum, vel profitendum, & si unus ingressus & professus fuerit, quod potest in vito etiam altero, matrimon. ratum etiam quoad vinculum dissolvetur. C. 2. 7. X. d. i. si vero matrimon. consummatum, conjugi ad Religionem transituro necessaria est expressa alterius licentia, quæ obtentâ & insuper servata dispositione C. 13. X. d. i. professio tenebit, non tamen matrimonium quoad vinculum solvetur C. 4. X. d. i. Rationem disparitatis inter utrumque casum pluribus recenset Lud. Engl. X. d. i. & ibid. passim DD.

#### PROBLEMATA CANONICA.

31. U. Sponsus, qui jurato fidem dedit ante matrimonium contractum ingredi posse Religionem?
32. U. Bimestre tempus Sponsis de presenti ingredi volentibus à jure concessum, sit datum ad deliberandum, vel ad probandum & profitendum?
33. U. Si id bimestre ad profitendum sit assignatum, id abduc post. Concil. Trid. ita obtinet?
34. U. Canonicus Religionem ingressus tempore noviciatus lacretur fructus sus præbende?
35. U. In Sponsalibus de futuro conditio impossibilis habeatur pro non adiectâ?
36. U. Dispositio Cap. 6. X. de Cond. appof. post Concil. Trid. nihil amplius operetur?
37. U. Quod matrimonium metu contractum sit ipso jure nullum, veniat ex dispositione juris positivi?
38. U. Malafides superveniens Jure Canon: publicanam act. impediatur?
39. U. Sponsalia precedentia, per subsequens matrimonium cum alia, ita infirmenur, ut nunquam reviviscant?
40. U. Capitulum sede vacante conferat ea beneficia, que ob negligentiam Patroni ad Episcopum devolvuntur?

QVÆ

## QVÆSTIO V.

*An si donatio omnium bonorum facta sit, ea tam latè sit interpretanda, ut etiam bona futura comprehendat?*

Hac in Quæst. circa donationem charam quidem, sed in exercitio admodum raram, propositâ, suppono contra Schneidew. Clar. Gomez. Fach. Moz. Branch. & alios communiter. Omnium bonorum donationem valere per L. 35. §. 4. & 5. C. de Donat. L. 8. C. de Rev. Donat. eam tamen in dubio ad futura non extendi verius est. Probatur: Donatio intelligenda est conformiter ad subiectam naturam actus. Atqui donatio estactus præsenter ad dominii translationem directus. Ergo regulariter quoque respicit solum ea bona, quæ præsenter sunt in dominio donantis. Atqui sibi hoc non sunt præsenter bona futura, ergo nec ad illa in dubio extendenda donatio. Objicitur 1. in beneficiis latisimam facienda interpretatio. C. 6. X. de Donat. atqui donatio est verum beneficium. d. C. 6. ergo. atqui latissimus interpretandi modus exigit donationem indefinite factam extendi ad bona tam præsentia quam futura. E. Resp. faciendam esse latissimam interpretationem intra tamen sphæram actus illius, quo beneficium perficitur, bona autem futura, uti dictum, non sunt in ordinariâ sphæra donationis præsentis. Objicitur 2. licet hypotheca sit actus præsenter constituens jus in re creditori, tamen hypotheca generalis indefinitè constituta intelligitur de bonis etiam futuris. L. f. C. quæ res pign. obl. E. Resp. disparitatem esse. Imò quia constitutio hypothecæ ex suâ naturâ tendit ad assecurandum creditorem de debito recipiendo tempore futuro, ast donatio non respicit ita ex suâ naturâ tempus futurum, imò ex primœvâ suâ indole est doni datio, qua verba inferunt donationem præsentem, adeoque bona præsentia. 2dò si tam latè interpretaretur donatio, nimium gravaretur donans, ast licet ita extendatur hypotheca, non plus gravatur hypothecans, quâm si sola præsentia hypothecaret, cùm hypothecæ jus non fiat majus per hoc, eo quod non augeatur ultra debitum principale. Objicitur 3. donatio omnium bonorum alteri facta est quædam negatio activa dominii. atqui negatio est malignantis naturæ, negans totum, quod post se in-

venit; ergo & donatio talis negat in donante tam præsentia quam futura bona. Respond. Dicit. Min. negans totum quod post se invenit, illo tempore quo talis negatio ponitur, & cui tempori illa proportionatur C. pro alio tempore N. Min. & Cosq.

### PROBLEMATA CIVILIA

41. U. ob supervenientiam liberorum revocetur donatio? 42.  
U. donatio revocetur, si donatarius adversario donatoris advocando patrocineatur? 43. U. jurata donatio 500. solidos excedens valeat absque insinuatione? 44. U. vestimentorum omnium verus sit usus fr? 45. U. b. f. possessor teneatur de fructibus consumptis, in quantum inde locupletior factus? 46. U. divisio juris gentium in primevum & secundev. retinenda sit? 47. U. tutor confirmatus sit habendus pro testamentario? 48. U. tutor ob latam culpam remota sit infamis? 49. U. tutor nominatus post constit. D. Marci. immediate per appellationem causas excusationis proponere possit? 50. U. novo jure mulier adoptare possit sine Rescripto?

### QVÆSTIO VI.

*An impuberes ante septennium contrahere possint sponsalia, si, ut dici solet, malitia etatem suppletat?*

Negantum rationes sunt istæ. *ima.* Valde rarum est, quod ante 7. annum in parvulo tale præcox judicium evigilet, ut quid sponsalia sint, satis intelligat, & frequentius contingit contrarium. Ergo cum regulariter septennium requiratur ad sponsalia, ob rarum hunc casum à regulâ recedendum non est, cum lex non cesse obligare, & si fors in uno particulari casu ratio legis cesse. *2da.* pro faciendo testamento ætas 14. in masculo, & in fœmina 12. annorum est præscripta. *L. 5. ff. qui test. fac.* & tamen nemo hucusque docuit, quod ante hanc ætatem, sciens testamenti vim, id etiam facere possit. Ergo etiam cum jus Civ. & Canon. pro sponsalibus contrahendis septennium requirant *L. 14. ff. de sponsal. C. 4. & 5. X. de despensi. impub.* non poterunt ea ante dictam etatem iniri, utcumque prudens adsit judicium. *Ita Harprecht. Zær. König. Panorm. Marian. Socin. Fachin. & novissime Clariss. D. Senutti Prof. Vienn. in Commentario ad Institut. recente edito. iii. de nupt.* Affirmantium è contra rationes sunt sequentes:

tes: *1ma.* sponsalia à minore 7. annis inita ponunt effectum sponsaliorum, nimirum. impedimentum publicæ honestatis. *C. 3.*  
*X. de sponsal.* ergo tenent. *2da.* sponsalia sunt via & dispositio ad matrimonium, ergo cum jus disponat, ut in matrimonio malitia ætatem suppleat *C. 9.* *X. de desp. impub.* idem censetur in sponsalibus dispositiis. *arg. L. 15. 16. ff. de sponsal. 3ta.*  
jura tantum requirunt septennium, ut contracturi sponsalia intelligent, quid agant. *L. 14. ff. eod.* ergo si ante septennium id intelligent, valebit contractus, præsertim cum in sponsalibus non tantum sit periculum, ut in matrimonio, quod in dissoluble & oneribus plenum est. Pro hac affirm. pugnant *Vallens.*  
*Sanch. Laym.* *Canis.* *Wagnerech.* *Pagn.* Ego perpendis pro & contra argumentis puto utrumque probabiliter defendi posse, itaque quæst. in Problema 51. assumo, & converto me ad sequentia

### PROBLEMATICA CANONICO-CIVILIA.

- 52.* U. viro prudenti ducenda sit uxor formosa? *53.* U. si mulier in dotem dei viro suo casrum, cui jus patronatus annexum, vir durante matrimonio presentare possit, aut mulier? *54.* U. matrimonio putativo sit vis legitimandi liberos? *55.* U. requiratur consensus filiorum ad legitimacionem per subseq. matrimonium? *56.* U. ut per subseq. matrimonium legitimetur filius, sufficiat potuisse esse matrimonium inter parentes tempore nativitatis? *57.* U. legitimatus per subseq. matrim. sit habendus pro primogenito? *58.* U. Comes Palatinus proprios suos spurious legitimare possit? *59.* U. heres possit prescribere rem non viuissam, quam defunctus mala f. non possedit, nec tamen ob desicientem, titulum prescribere potuit? *60.* U. frater fratri opponere possit beneficium competencia?

### QVÆSTIO VII.

*An tempore necessitatis extreme omnia sint communia  
vel communicanda?*

Inter hæc duo hoc interest, si communicanda tantum sint, tum ubi ad meliorem fortunam pervenerit accipiens, restituere tenetur, non verò, si sint communia. Jam qui communia omnia volunt, probant id *1mo.* ex *C. discipulos.* *Dis. 5. de Consecr.* ubi Christus discipulos, cum per segetes eundo spicas vellearent & ederent, innocentes vocat, quia fame coacti hoc fecerunt.

B 2

atqui

atqui si non essent omnia communia tempore famis, non  
potuissent discipuli alienas segetes invadere, vel debuissent  
restituere, quod tamen fecisse non leguntur. Ergo. Prob. 2.  
qui rem alterius in tali necessitate accepit non obligatur ad  
restitutionem ratione iustæ acceptio[n]is, quia ex p[re]cepto  
juris Natur. ad vitæ conservationem accepit, nec ratione rei  
extantis, utpote quæ supponitur non extare, nec ratione  
contractus vel quasi, ergo ex nullo capite obligatur ad resti-  
tutionem. Prob. 4. olim in primo naturæ statu omnia erant  
communia, L. s. ff. de Jus. & Jur. ergo tempore necessitatis  
ille status & rerum communio reddit, quia lex divisionis, ne  
iniqua sit, conservationem vita impediens, hoc casu cessa-  
bit obligare. Prob. 5. jure naturæ omnes habebant jus uten-  
di rebus creatis, prout necessarium fuerit suæ conservationi,  
quia ad hoc à DEO condita sunt, ergo jus gentium divisionis  
inducens, debuit illud jus indemne conservare, & sic  
saltem divisionem inducere sub conditione: *nisi ex parte al-*  
*terius obvenerit extrema necessitas.* adeoque cum jus positivum  
naturali derogare nequeat, in necessitate tali omnia ad sta-  
tum communem redeunt, & cuilibet manet integrum acci-  
pere ea, quibus extremè eget. Ita Harp[re]cht. P. König. & alii.  
Dissentientium è contra Rationes sunt istæ. *ima.* Ob nece-  
ssitatem bona in tantum fiunt communia, in quantum alte-  
rius necessitas potest sublevari. atque illa satis sublevatur,  
si egens accipiat rem non ut *absolutè* propriam, sed cum  
obligatione restitutionis, si ad meliorem fortunam venerit.  
ergo. *zda.* Omnis dispositio, si de p[re]judicio *zti* agitur, stri-  
ctè est interpretanda. atqui hic agitur de p[re]jud. domini  
re suâ privandi. E. virtus necessitatis, facientis omnia com-  
munia, strictè interpretanda, ut non *absolutè*, sed interim,  
usque ad casum pinguioris fortunæ, rem domino auferat.  
*zta.* Quæ sunt facti, non tollunt ea, quæ sunt juris. atqui  
necessitas est facti, dominium quid juris. E. *4ta.* Non tene-  
or sucedere proximo cum damno, si possim sine eo. atq.  
si omnia in necessitate essent communia, ad hoc tenerer,  
E. Ita P. Engl. Covar. Clar. Zaf. Nav. Sanub. Leff. Lugo Hunn. Mi-  
hi utraque opinio probabilis videtur, hinc quæst. Problema-  
ticè defendo, & posito hoc Problemate *6i* sint

PRO-



## PROBLEMATA CIVILIA.

62. U. In *Quæstione* : An Juramentum metu extortum Jure positivo obliget ? rectè distingvatur inter *Jus Civ.* & *Canon.* ?  
63. U. Adstruenda sit cum *Zaf.* lectio corrupta in L. 34. §. 4. ff. de Jurejur. 64. U. Quarta Piana impuberi arrogata debita, sit quarta omnium bonorum? 65. U. Testamentum rectè definit *J.C.* in L. i. ff. qui test. fac. pos. 66. U. ad Codicillos caci 6. testes adhiberi sufficiat? 67. U. *Jure Rom.* Testamentum alio signo, quam annulo, signare licet? 68. U. *Dispositio* §. 7. Inst. de Testam. Ordin. ad alias ultimas voluntates extendenda sit? 69. U. Si quis corpore adhuc in fundo sit, animum tamen habeat, fundum non possidendi, hoc solo animo possessionem amittat? 70. U. Exceptio *S.C. Macedon.* competit filio adventitia bona pleno jure habenti?

## QVÆSTIO IIX.

An Prælatus sine solennitate Canonica hæreditatem vel legatum suæ Ecclesiæ relictum repudiare possit?

Cum tam laudabili pasim Venerabilium locerum Præsulles amplificandarum Ecclesiarum suarum studio nunc laborent, ut vix sperabilis sit casus, quo de liberalitate obveniente repudianda quisquam eorum cogitaverit, non dubitavi hanc inter raro contingenta referre Quæstionem, quam *Zaf. Panorm. Sanch.* indistinctè affirmant, hac ratione moti, quod nomine alienationis, sine solennitate Prælato prohibitæ, veniat strictè dicta alienatio, quâ aliquid ex dominio Ecclesiæ transfertur. Atqui repudiatio hæreditatis vel legati non est talis. Ergo. *Min. prob. ex l. 28. ff. de V. S. L. 5. §. 13. ff. de don. int. vir. L. 6. pr. & S. 5 ff. que in fraud. cred.* ubi diversa extimantur alienare, & non acquirere. Alii cum *Azor.* Distingu. hæreditatem inter, & legatum purum cerraque speciei; in illâ priorem sententiam admittentes, sed non in hoc, ob text. notab. in L. 5. §. 8. ff. de reb. eor. ubi repudiatio legati resp. pupilli habetur pro indubitatâ alienatione, sine Prætoris autoritate non peragendâ, ergo etiam pro tali habenda est resp. Ecclesiæ, cum qua pro pupillo, eadem & major pro Religione ratio faciat. L. 43. ff. de Religios. Et licet *P. König* ob has rationes utramque sententiam probabilem credit, ei tamen, ut ut hodie in problemata liberalis sim, assentiri nequeo, sed ob d. L.

5. sententiam Azor. veriorem Judico cum P. Engl. X. de Reb.  
Eccles. alien.

### PROBLEMATA TESTAMENTARIA.

71. U. Testamentum unicā syllabā consciū posuit, quia L. t. S.  
3. ff. de hered. inst. tria verba ad id requirunt? 72. U. Si Monachus  
heres institutus, independenter à facto Monachi hereditas Monaste-  
rio acquiratur? 73. U. In Testamento ad pias causas requirantur duo  
testes de substantiā? 74. U. Mulier possit esse testis in testamento ad pi-  
as causas? 75. U. Testamentum metu extortum sit ipso jure nullum? 76.  
U. Testamentum Patris, in quo Filius sine adscriptiōne cause juste  
exheredatus, novo jure sit nullum? 77. U. Posthumus exheredari possit  
novo jure? 78. U. Filius, testetur de adventiis bonis pleni juris? 79.  
U. Dispositio §. fin. Inst. de exher. liber. mutata sit ex jure Novel-  
lar. 80. U. Si Testamento ad pias causas legata profana inserita, hac  
sint inutilia?

### QVÆSTIO IX.

An Fur, qui rupto laqueo vivus decidit è Patibulo, denuò  
suspensi debeat?

Negativa sententia, juxta quam teste Arum. Exerc. Jus.  
Disp. 7. 16. 8. Collegium Jenense quondam pronunciavit, his  
probatur argumentis. 1. Quæ raro & insolenter accidunt, mi-  
raculose facta censeri debent; at quæ miraculose sunt, ea sub  
legis dispositione non continentur. arg. C. 18. pr. X. de Regular.  
atqui raro & miraculose accidit, ut fur suspensus decidat è  
furcā. Ergo si aliquando contigerit, non comprehendetur  
sub dispositione legis, fures strangularejubentis. 2. In dubio,  
ubi de pena infligendā agitur, mitiorem amplecti partem de-  
cet, ut potius reus absolvatur quam condemnetur. arg. L. 5.  
ff. de Pen. at hic versamur in dubio, an semel suspensus & deci-  
dens, debeat denuò suspendi; E. 3. Adducitur dictum Psalm.  
124. vers. 7. laqueo contritus est, & liberati sumus, ergo fur contri-  
to laqueo decidens est liberatus, & proinde dimittendus. Sed  
meritò hæc opinio dudum ab aliis repulsa tuit: Nam 1. o-  
mnis executio sententiæ fieri debet, ut illi per omnia satisfiat,  
atqui sententia in furem lata talis fuit: Daß er mit dem Strang  
vom Leben zum Todt gebracht werden solle. Ergo non debet fur  
absque strangulatione conflummatā dimitti. 2. Utin inchoatio  
solutio

solutio non liberat , ita nec pena , nisi perfecta , atqui talis decidens penam neandum perfectè persolvit . E. Nec obstat , quod Dissent: miraculosam liberationem hoc casu fieri allegant . Nam si de miraculo constaret , quale exemplum adfert Zos. ad ff. de Pari. num. 48. res per se clara foret ; alias miraculo non adscriendum , quod causam naturalem habet , puta fraudem vel negligentiam carnificis , debilitatem laquei vel cænæ , aut gravitatem oneris appensi . Ad cætera in contrarium adducta in conflictu respondebitur .

#### PROBLEMATA CANONICO-CIVILIA.

81. U. Clericus reconventri posst in causâ Civ. coram laico? 82. U. Episcopus posst causam Clerici temporalem judici laico delegare? 83. U. Exceptio non numerata pecunia posst biennium posst opponi? 84. U. Remedium L. 2. C. de Rescind. Vend. locum habeat in aliis contraria? 85. U. Substitutio Pupillaris tacita Matrem aque excludat ut expressa? 86. U. Substitutus in casum noluntatis , consecutur etiam substitutus in casum impotentie? 87. U. Si Pater & Mater Filio mente capio exemplariter substituerint , Substitutus à Patre preferatur? 88. U. Substitutio recte dividatur in directam & obliquam? 89. U. Monacho substitutus , preferatur Monasterio , si Monachus hereditatem accide noti? 90. U. Si quis gemmam in littore previdet eum conatu apprehendendi , alter autem prius apprehendat , ea præventi vel præripiens cedat?

#### QVÆSTIO X.

An si Filia Vasalli armis assveta & militie deditasit , in secundum Paternum succedat?

Aliter juris feudaloris , quam Civilis , placuisse conditoribus , eoque jure feminas à successione feudi regulariter repellit notissimum est . Cujus rei multiplex afferri solet ratio . 1. Quod feuda à militiâ originem habeant , ad quæ feminæ minus aptæ . 2. Quod sexus honestati repugnet , Mulieres Virorum cætibus se immiscere . 3. Quod neque consilio eis sexus levitatem Dominum juvare , nec secreta sibi commissa ex innata garrulitate reticere , adeoque præstare nequeant ea , quæ fidelitatis forma , feudorum jure præscripta à Vasallo exigit 2. f. 5. 6. 7. Enatum tamen inter DD dubium , an non in secundi successione admittenda sit Fœmina , ad pugnam assveta? Quod licet ita vixit sit Andr. de Ifern. & Hieron. Garzon . horum tamen opinio ab aliis communiter exploditur . Quia raro contingere

contingere certum est, Fœminas in bello strenuas, & in consiliis prudentes reperiri, jura autem non de iis, quæ raro, sed quæ plerumque fiunt, constitui solent. L. 3. ff. de LL. & quamvis in casu positio prima ratio, ob quam Fœminas à feudo excludi dictum, cessare videatur, cum tamen decisionis hujus plures causæ superfint, non mox unâ earum cessante, ipsa quoque dispositio cessabit. Schambog. Tract. Feud. tit. 11. num. 7. & DD. Commun.

### PROBLEMATICA FEUDALIA.

91. U. minor curatorem non habens, bona immobilia sua possit in feudum dare sine decreto? 92. U. in feudo filiof. dato comperat patri ususfr? 93. U. Vasallus habeat dominium uile in re feudali? 94. U. femina ob existentiam masculi ad feudum semel non admissa, in perpetuum maneat exclusa? 95. U. thesaurus in fundo feudal invenitus cedet vasallo? 96. U. legitimatus per subseq. matrem succedit in feudo? 97. U. mater possit obire munis tutricis resp. bonorum feudalium? 98. U. legato feudo, debeatur estimatio? 99. U. possessio 30. annorum sufficiat ad prescribendum feudum in rebus ecclesiasticis? 100. U. si vivo testatore contagio definat, testamenti tempore pestis conditi, ejusque valoris intra annum sit

F I N I S.

A. M. D. G.







01 A 6619




3

VON







26

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
PROBLEMATICA  
EXHIBENS NONNULLAS  
**QVÆSTIONES**  
**SELECTAS CIRCA**  
**CASUS RARIUS OBVENIENTES,**  
NEC NON  
INTERMIXTA CENTUM PROBLEMATA, EX  
CANONICO, CIVILI, ET FEUDALI JURE  
COLLECTA,  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**PHILIPPO WILHELMO,**  
S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,  
SACRÆ CÆSAREÆ ATQVE REGIAE CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum MO-  
GUNTINAE ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQL  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPTE,  
SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS  
SUFFRAGANTE AMPLISSIMO FCTORUM COLLEGIO  
INPERANTIQLA ELECTORALI UNIVERSITATE  
ERFURTensi,  
PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORALEM IN UTROQVE JURE SUSCIPENDI,  
PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBMITTIT  
DIE XXXI. OCTOBris ANNO M DCC XV.  
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII MAJORIS  
JOANNES MICHAEL ROTERMUNDT, STADTVVORBIANUS.  
ERFORDIAE TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPogr.